9)

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

HAEMORRHAGIARVM SISTENS PATHOLOGIAM, SEMIOLOGIAM, NEC NON THERAPIAM IN GENERE,

QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE
PRO GRADV
DOCTORIS MEDICINAE, CHIRVRGIAE, ARTISQVE OBSTETRICIAE
IN
ACADEMIA MARBVRGENSI
D. XXXI. DEC. CIↃIↃCCXVC.
H. L. Q. C.
SVB SOLO DEI PRAESIDIO
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

GEORGIVS RITTER
HERSFELDA-HASSVS.

MARBVRGI CATTORVM
TYPIS BAYRHOFFERIANIS,

Ein groser Arzt ist im eigentlichsten Verstande ein eben so erhabener Geist, als ein groser General; und darum ist ein hoher Grad der Vollkommenheit in der Kunst zu heilen eben so selten, als ein hoher Grad der Vollkommenheit in der Kunst zu töden.

Zimmermann *von der Erfahrung.*

Dem

Durchlauchtigſten Fürſten und Herrn

HERRN

WILHELM,

Landgrafen zu Heſſen-Philippsthal,
Fürſten zu Hersfeld, Grafen zu Catzen-
ellenbogen, Diez, Nidda, Schaum-
burg &c. &c.

Ritter des heſſiſchen goldenen Löwen- und
des Johanniterordens:

Meinem gnädigſten Fürſten und Herrn

widmet dies

in

tiefſter Unterthänigkeit

der Verfaſſer.

DURCHLAUCHTIGSTER LANDGRAF,

GNÄDIGSTER FÜRST UND HERR!

Die allgemein bekannte, gnädige Beschützung der schönen Künste und Wissenschaften, die EW. FÜRSTLICHE DURCHLAUCHT von jeher denenselben huldreichst geschenkt haben, verleitet mich zu der Dreistigkeit,

EW.

EW. FÜRSTLICHEN DURCHLAUCHT dieſe meine Probeſchrift demütigſt zu Füſſen zu legen und zugleich um EW. FÜRSTLICHEN DURCHLAUCHT gnädigſten Schutz für dieſelbe unterthänigſt zu bitten. Jch ſchätze mich unendlich glücklich, mich unterzeichnen zu dürfen, als

EW. FÜRSTL. DURCHLAUCHT

allerunterthänigſten, treugehorſamſten Knecht,

G. Ritter.

§. I.

Verbum, quo nunc vtimur, ad profluuium ſanguinis vnumquodque ſignificandum, non omni aeuo vnam eandemque vim habuit. Graeci e. g. profluxibus tantum vehementioribus hoc nomen tribuere: mitiora vero, *ſtalagmata* vocare. Verum enim vero noſtris temporibus et fortiorem et mitiorem ſanguinis exundationem praeternaturalem adpellant *haemorrhagiam*. Omne etymologiam verbi huius attinens, celeb. ille VAN SWIETEN *a*) exhauſiſſe mihi videtur: liceat inde effatum ſuum verbotinus hic allegare: „ Haemorrhagia," inquit, „ propria vocabuli „ ſignificatione copioſum ſanguinis cum impetu effluxum

a) Conf. Eiusdem Commentar. in H. BOERHAAVII Aphoriſmos, de cognoſcendis et curandis morbis. Lugd. Batauor. 1742.

„notat; poftea tamen etiam obtinuit, vt pro quocunque „fanguinis effluuium fumeretur. Ἁιμοῤῥαγία enim videtur „optime deriuari ἀπὸ τȣ̃ ἅιματος καὶ ῥαγῆναι, *b*) quod voca- „bulum ex Galeni fententia apud Hippocratem idem figni- „ficabat, quod ἀθρόως ὁρμᾶν: cum impetu et confertim „prodire. Dum enim fanguis modicus et fenfim effluit „ἐῤῥυσεν vocauit. Hippocrates, vel lene ftillicidium dixit „ϛαλαγμὸν *c*). Vbi autem haemorrhagiae nomen fimplici- „ter occurrit apud Hippocratem, non addita parte corpo- „ris, ex qua erumpit, tunc intelligit illam, quae per nares „fit, *d*) fanguinis eruptionem monet Galenus. *e*)

§. II.

Quaeuis haemorrhagia vel morbus primarius, vel fe- cundarius, vel idiopathicus, vel fymptomaticus eft; hoc cafu fubleuantes eueniunt et criticae (vt et hoc iam ille diuus fenex Covs *f*) annotauit; fic ait: „Melancholicis et „nephriticis haemorrhoides fuperuenientes bono funt;“ et iterum: *g*) „Quibus per febres aures obfurduerint, iis „fanguis è naribus profluens foluit morbum)“ vel refpectu naturae morbi indifferentiores, vel magis ponderandae.

Claf-

b) Celeber. Blancard à ῥήγνυμι deriuat — (Conf. eius Lexicon medicum edit. nouiff. ab Ifenflamm p. 585.) quo nunc pro antiquo ῥήγω f. ῥάγω vtitur: alii à ῥέω, fluo, ftillo, fed hoc non fatis quadrare mihi videtur.

c) C. Gorraei definit. med. pag. 16. et Charteri T. 9. p. 18.

d) ἐπίϛαξις.

e) V. Ei. Commentar. I. in libr. primum epidem.

f) V. Aphorifm. fect. 6. aph. 2.

g) — — — — 4. — 60.

Claſſificatio in externas et internas parui eſt momenti; ſed eo grauior illa, in actiuas et paſſiuas. Has vocant eas, ex iniuriis externis, vel indole humorum corrupta orientes et in genere, vbi nulla naturae cooperatio reperitur. Actiua è contra denominantur per naturae efficacitatem productae.

§. III.

Quaeuis ſanguinem continens pars, haemorrhagias pati poteſt. Partes maxime ad haemorrhagias inclinantes, ſunt nares, os, pulmones, ventriculus, viae vrinariae, vterus et anus. Hippocrates et poſtea quoque alii contendunt: Haemorrhagiam narium *h*) iunioribus; haemoptiſin *i*) adultioribus; viris *l*) mictum cruentum et haemorrhoides frequentius euenire — et haec ſententia omnino recentioribus omnibus reſpondet obſeruationibus: praeterea hoc annotarunt: in iunioribus effluxum ſolemniter ex arteriis, in ſenioribus ex venis fieri. *m*)

§. IV.

Cauſa proxima haemorrhagiarum in continentibus, fluidis, l. in ambobus ſimul reprehenditur. Licet humores ſint integri, naturales, nihiloſecius haemorrhagiae oriri poſſunt, cum vel oſtia vaſorum praeternaturaliter ampliata ſint, vel ſanguis propter nimiam diſſolutionem tranſeat va-

h) V. Aphoriſm. ſect. 3. aph. 27.
i) — — — — 3. — 29.
l) — — — — 3. — 30.
m) V. Iodoci Lommii Obſeruationum med. lib. 3. p. 114. editio, quae 1560 Antwerp. in lucem expoſita eſt.

vaſorum parietes, vel ruptura adſit vaſorum. Variis hiſce conditionibus, varia tribuuntur nomina. *Anaſtomoſin* fieri perhibent tum, cum vaſculorum, ſanguinem non admittentium, caua et orificia ampliantur, vt rubicundum laticem vel ſtillent, vel vbertim emittant. Saepiſſime haec obſeruatur in haemorrhagiis ſpontaneis, actiuis. Penetratio per vaſorum parietes *Diapedeſis* nomen accepit. Sunt, qui hanc plane negant, ſed reuera interdum cauſa eſt profluuii ſanguinei. Graue argumentum, meam probans opinionem hoc eſt: Si in adminiſtrationibus anatomicis ſaepenumero liquores è ſyphone in vaſa iniectos per poros arteriarum venarumque laterales in vicinam celluloſitatem ſine vlla nota laceratorum vaſorum tranſire, atque ſimul corporum fluidorum in quam minimas particulas facile diſcerpendorum naturam et indolem penetrabilem cogitaueris, nihil erit cauſa, quam ob rem fieri poſſe neges, vt pauciores globuli rubicundi ſanguinis pluribus ſeroſis diluti per poros minimorum vaſorum profecto alioquin non nimis denſorum, iam vero quauis de cauſa rarefactorum ſudando exprimantur. An mercurii viui tranſitus per corii poros artefacti facilior intellectu eſt, quam ſanguinis per poros vaſorum?— Hallervs *n*) ille anatomicorum primus non euicit ſolum arteriarum poros per ſuas obſeruationes, ſed exemplis quoque hanc haemorrhagiae ſpeciem confirmauit. Statum, vbi vaſa vel rupta, vel laeſa ſunt *Diaereſin*; ſi huius cauſa humorum eſt acrimonia ſtagnantium *Diabroſin*; quodſi vero congeſtio; vel ſanguinis impetus, vel cauſa externa adſit *Rexin* vel *Rhixin* adpellant. Difficile fere ſemper eſt ad hae-

n) Conf. Eius Elementa, Tom. I. pag. 35, 104 — 106.

haemorrhagiae diiudicandam causam proximam omni certitudine: Tanti interea haec res est momenti medico practico, vt omnes intendat neruos ad hanc quocunque casu inueniendam. Et si omnes sedulo perpendamus circumstantias in cognoscenda haemorrhagia, de illius indole et natura nos instruere aliquatenus licebit. Si profluuium e. g. nullius momenti, absque dolore, sanguis vero conditionis, praeternaturaliter dissolutae, *Diapedesin* adesse, concludere fas est. Si plus vel minus magnum, si aegri vitae ratio, morbus praegressus, symptomata praesentia acrimoniam humorum arguere sinunt, o) *Diabrosis* metuenda est. Si haemorrhagia vehementia inuadit et causae antecedentes violentae, ortum ducit per *Rexin*. Quodsi vero solidae partes integrae, haemorrhagia oriente, in fluidis causam latere necessarie sequitur. Vitia fluidorum, haemorrhagiam causantia, sunt: abundantia vel congestio partem ad quandam, vel dissolutio et acrimonia sanguinis praeternaturalis.

§. V.

Causae procatarcticae haemorrhagiarum actiuarum variae sunt indolis. Saburra biliosa haud raro congestioni et effluxui cruento ansam praebet. Inde fortassis epidemia haemorrhagica, praecipue haemoptoïca, subinde obseruata, definienda est; inde pari modo haemoptisis frequentia in hominibus biliosis, iracundioribus. Morbi cutanei retrogradi, causam subinde constituere procatarcticam a multis, sane haud falso, accusantur. Haemorrhagiae suetae intermissae,

o) V. Pavli Aeginetae Opus de re medica, Editionem Guinterii Andernaci: Colon. 1534. L. 3. p. 132.

miſſae, vel ſubpreſſae aliam ſubpeditant claſſem — porro quicquid calefacit, motum humorum ingentem reddit, vt potuum abuſus ſpirituoſorum, corporis motus vehementes vitaque nimis exercitata; animae adfectus; febres omnes et vermes. *p)* Obſtructiones hepatis et viſcerum abdominalium, vel ex circulatione impedita, vel ex irritatione inde orta, amputatio membri magni, quam tunc plethora ſequitur, aëris conditio leuis, cibi ac potus calefacientes, acreſcentes, balneorum abuſus tepidorum, vulnera antiqua incaute ſanata, et quae ſunt alia. Saepiſſime tales obſeruantur cauſae, ſanguinis motum inaequalem reddentes, e. g. ſpaſmi, *q)* vaſorum preſſio ex veſtimentis nimis arctis: fibulatoria magno cum iure hic referri debent, certiſſime feneſtram praebent creberrimam haemoptiſeos mulierum; ſitus corporis vniformis per longum temporis ſpatium protractus, heterogenea denique corpora humanam in machinam delata. En cauſas generaliores haemorrhagiarum actiuarum procatarcticas.

Proe-

---

p) Inde diuus HIPPOCRATES ſic: „ὅσοι κοιλίης ἐπιστάσης αἱμοῤ-„ῥοέουσι, καὶ ἐπιῤῥιγοῦσιν ἅμα τῷ αἱμοῤῥοεῖν, τούτοισι κοιλίην „λειεντεριώδεα ποιέει, καὶ ἐπίσκληρον καὶ ἀσκαρίδας, ἢ ἀμφότερα. V. Ei. praenotiones coacas Nro. 344. p. 159. Edit. Foeſii, Francof. ad Moenum 1595. Conf. in eundem ſcopum VAN DER BOSCH Hiſtoria conſtit. epidem., quae 1760 — 63. graſſata fuit, ſect. 2. cap. 3. et NIEMANNI epiſtola ad cl. Lieberkühn: de potentia animata morbifica variarum haemorrhagiarum cauſa, Halae 1772. 4to.

q) Conf. GVALTHERI VERSCHVIRII Diſſ. de arteriarum et venarum vi irritabili etc. Groening. 1766. et WEISE Diſſ. de irritabilitate morborum genetrice, Ienae 1772.

Proegumenae principales sunt sequentes: Dispositio haereditaria; inter has eminet praecipue dispositio haemoptoïca, quam alias phthisicam vocant, quae in vitae periodo ab anno inde XVto ad XXXVtum vsque frequentissime sese prodit: Dispositio naturalis vel architecturae: Dispositio denique sexualis. Haemorrhagiarum passiuarum causae procatarcticae hae sunt: Commotio, vulneratio, *r*) nisus vehementes, plethora summa, summus calor. Ictus denique quorundam animalium venenatorum, e.g. haemorrhoidis, *s*) anguium quarundam etc.

§. VI.

Rarissime obseruantur haemorrhagiae internae, ne pars, ex qua effluxus fit, dispositionem quandam prodat haemorrhagicam: sed pro variis causis, varia haec est dispositio. Saepe praeternaturalem sequitur relaxationem partium solida-

r) Medical Observations and Inquiries Vol. 2. p. 153. et Med. and philosophical Commentaries by a Society in Edimburgh, Vol. 5. p. 10. — Haemorrhagiae, post dentis exstirpationem molaris, ortae, historiam, notatu omnino dignam, commemorat Ill. BALDINGERVS in Magazin vor Aerzte V. 5tes Stük, p. 411. Rarum hunc sanguinis effluxum obseruare contigit cl. KOELPINO: Nullo alio poterat sedari remedio stiptico, ac agarico quercino mare, non praeparato, alias fungus ignarius vocato, cui hic vires specificae adscribuntur haemostaticae; nec minus hoc contendit STEPHANI GASPARETTI. Conf. Ei. Osseruazioni etc. et cel. WARNER V. Ei. Cases of Surgery etc. —

s) Conf. CELSVS de Medicina, p. 311. et AETII Tetrabibl. 4. Serm. 1. 22. 23.

darum: inde fit, vt in aetate minus prouectiori, corpore celeriter vel impariter increſcente, pluribus praegreſſis morbis debilitantibus, eo facilius oriantur haemorrhagiae. Irritabilitas nec non ſenſilitas partis cuiuſdam praeternaturaliter auctae pari modo diſpoſitionem ſubinde excitant haemorrhagicam. Spaſmis vexati fere ſemper experiunt diſpoſitionem hanc; et vehementiſſimae haemorrhagiae obſeruantur in foeminis debilitatis et ad ſpaſmos diſpoſitis, licet fluidae partes plane innocentes ſint.

§. VII.

Haemorrhagia omnibus plane carens prodromis, rara eſt auis; ſemper fere illam comitantur; nam ſequelae ſunt naturae efficacitatis. Prodromi hi, pro loci diuerſitate varii ſunt generis. Haemoptiſin e. g. praecedunt anxietas in pectore, calor frigusque alternantes, tenſio in variis partibus, aluus obſtipata, vrina pallida, pedes frigidi, dolor et ardor ſub ſterno et ſtrepitus in pectore, pulſus paruus, contractus, debilis, celer, febrilis, ſenſatio titillationis in faucibus; faciei pallor, membrorum tremor; tuſſis modo humida, modo ſicca, poſt coenam et corporis motus increſcens. Ante vomitum cruentum haec circiter obſeruantur: habitus et color ſubluteus; palpebrae tumidae; annulus circa os coeruleus; labia atque lingua pallida; pulſus debilis, plerumque tardus, tenſio, preſſio, pulſatio in ſcrobiculo cordis; calor fugitiuus; vertigo et capitis dolores; ſiccitas in ore; inappetentia, vel fames praeternaturalis; nauſea, vomitus crebri materiei, vel inſipidae, vel acris et

t) V. Ei. Obſ. medicinal. L. I. p. 15. Edit. ſupra citat.

et acidae, ſaepe maleolentis; vrina cruda, pallida; borborygmi et flatus; aluus obſtructa; ſedes ſubinde ſpeciem materiae referunt piceae, nigricantis; dolores ventriculi et inteſtinorum. Epiſtaxin indicant inſtantem ſec. celeb. LOMMII *t*) obſeruationes ſequentia: „ Si praecordia, “ inquit, „ vel dextra, vel laeua ſine dolore intenduntur, „ ſimulque ſpiritus fit difficilis, et caput pulſante atque „ diſtendente affectum dolore exardeſcit, et facies tota, „ potiſſimum oculi, nares ac malae rubeſcunt: ſi hebes fit „ viſus, vel obiectis, quaſi ſplendoribus eluditur: ſi collum dolet, et tinniunt vel obſurdeſcunt aures: ſi illachrymant repente oculi, et rubeſcunt: ſi venae in temporibus vehementer agitantur: ſi nares velut extenuantur, „ et pruriunt: magisque ſi dolor iuxta faciem atque tempora, tum quoque grauis verſatur: ad hoc, ſi pulſus „ praeterquam, quod vt in omnibus vacuationibus, altus „ et vehemens, ita hic etiam vndoſus eſt. Frequens haec „ vacuatio febribus eſt ardentibus, et ei inſaniae, quam „ graeci φρενῖτιν dicunt, itemque acutis, continuisque, vel „ ſine febre etiam capitis doloribus, praecipue ſi frontem „ hi atque tempora occupauerunt, adhaec omnibus, quae „ ſub praecordiis fiunt calidis et acutis inflammationibus, „ maximeque iocinoris, et lienis: “ et hipocratica *u*) theſis haec eſt: „ Qui ſurditate et capitis grauitate ac praecordiorum contenſione vexantur, ſi oculorum acies perturbatur, in iis ſanguinem è naribus fluxum ſperare oportet.“

B §. VIII.

---

t) *(Haec nota ex compoſitoris errore in pag. antec. legitur.)*

u) Conf. COACAE praenotiones, ſect. 2. n. 195.

§. VIII.

Prognoſi faciendo ſemper reſpiciendum eſt ad aegroti habitum corporis, aetatem, vitae genus, modum effluxus, partis habitum aegrotantis, qualitatem et quantitatem ſanguinis, cauſam et ſymptomata praeſentia, ſi de ſalubri vel noxio haemorrhagiae effectu iudicare nos oportet. Inanitionis periculum raro actiuis in haemorrhagiis vrget. Minus metuenda a cauſa externa, vel a fluxu menſtruo aut haemorrhoidali *x*) ſubpreſſo oriens haemorrhagia — quid? quod? ſaepe tunc ſalutaris viſa eſt. Parum difficultatis febre abſente. Sexu altero haemorrhagiae minus ſunt periculoſae, imprimis fluxu carente vel ſubpreſſo menſium. Sed anceps haemorrhagia in recens natis, ſit quaeque ſit. Horror poſt quamcunque ſanguinis exundationem magnam peſſime. Semper morbi periculum recidiui, extremitatibus frigidis. In febri petechiali, miliari haemorrhagias mala refert inter ſigna cel. Strak. *y*) Mala quaeuis haemorrhagia ſine ſignis praeſagientibus, abſque ſignis coctionis, cum aliis ſymptomatibus malis, è loco minus congruo, ſine leuamine, nimis parca vel immoderata; in morbo, cuius naturae non conuenit (e. g. febrem putridam, neruoſam, icterum, cancrum &c. nulla iudicat haemorrhagia) contingens — „Quibus ſaepe è naribus fluit ſanguis, his aut lienis tumet, „aut capitis dolores ſunt: quos ſequitur, vt quaedam ante „oculos tanquam imagines obuerſentur.“ *z*) Animi deliquium

---

x). V. Abvlcasis in L. practicae Tractatus I. de haemorrh. et Avicenna in L. 3 ſen. 16. cap. 1. de haemorrhoidibus.

y) Conf. Ei. 5tes Stük, p. 65 — 90.

z) C. Corn. Celsi Liber de Medicina, ex edit. Kravsii, p. 62.

quium et conuulfiones peffimi ominis, *a*) imo lethales. — Haemorrhagiae confuetis ex locis prouenientes non adeo periculofae funt, quam illae, quae ex minus confuetis, vel prorfus alienis prodeunt. *b*) In fenibus (fcilicet fanis) ftillicidium fubinde guttarum quarundam è naribus valde eft ominofum: praefagit enim apoplexiam, fecundum omnem experientiam; caufa enim grauis adeft, quia plane carent fenes difpofitione ad epiftaxin. — In hepatis obftructione et ictero mala quaeuis haemorrhagia; fequela enim tunc eft colliquationis et circulationis in infimo ventre impeditae. — In febribus exanthematicis *c*) et omnibus morbis putridis ac colliquatiuis peffimi funt ominis haemorrhagiae. — Hecticorum (fcilicet difpofitorum ad phthifin) haemorrhagia narium eft valde ominofa, ob haemoptifin imminentem. — Critica quaeuis haemorrhagia, fi figna indicantia et illa coctionis praegreffa, fi larga eft, fi tempore critico et cum leuamine euenit. — „Decretoria fanguinis „è naribus eruptio cenfetur, fi poft coctionis figna oritur, „alias non tuta eft: fi larga eft, fi aliquamdiu continuat, „neque tamen exinanitio et debilitatio aegri, fed alleuatio „doloris, febris, delirii fequitur; fi diebus decretoriis accedit, per indices iam praefignificata; fi morbi forma, aegri „anteacta vita, ac victui et loco adfecto confentit; fi omnem „morbum tollit, aut faltem minuit:" haec verba funt ill.

GRV-

a) Excipe, fi aeger haemophobus.

b) Conf. CHRIST. GOTTL. LVDWIGI Therapiae, Lipf. 1758. et Commentaria Lipf. Tom. 6. p. 451.

c) Variolas et febrim fcarlatinam fi inflammatoriae indolis fit, excipias velim.

GRVNERI. *d*) — Oculi bulbus concauus, retractus, quasi corrugatus, sopor inter perfrigerationes, dentium stridor, faciei mutatio magna et subitanea, respiratio suspiriosa, extremorum frigus mortem in propinquo esse denotant. „Sanguinem superne quidem efferri," iudicat HIPPOCRATES, *e*) „qualiscunque sit, malum: inferne vero niger si „deiiciatur, bonum." — „*f*) Sanguis è naribus tanto interdum impetu fertur, vt hominem inanitione exanimet. „Quibus saepe è naribus fertur, his fere aut lien tumet, „aut caput dolet, aut caligines oculorum, suffusionesque „fiunt. Si pueris sanguis è naribus fluxit, dein fluere „procedente aetate desiit, necessarium est, eos vel graui „exulceratione articulorum affici, vel aliquo demum morbo „debilitari oportet. — In haemoptisi, vbi vetus malum „est, medicina omnis inanis est," iudicat cel. LOMMIVS. *g*) — „Sanguinem saepius minxisse cum febre et dolore, ma- „lum esse," HIPPOCRATI placuit: „at raro cruorem cum „vrina ferri, idque sine dolore, sine febre, non usque- „quaque esse periculosum," idem autor iudicauit: „Quod „per lassitudines fere incidit, quae inde protinus soluuntur. *)

§. IX.

Felici euentu in curandis sanguinis profluuiis gaudere si cupimus, sedulo perpendendum est, an talis quoque sit hae-

d) V. Ei. Semiotice physiologicam et pathologicam, p. 495.
e) Conf. Aphorismor. sect. 4. aph. 25.
f) V. I. LOMMII l. c. libr. 2. p. 38.
g) Ibid. p. 49.
*) — p. 85.

haemorrhagia conditionis, vt curatione indigeat. Quodſi vero reſpectu aegroti corporis habitum nimis; quodſi debilitas iamiam magna; quodſi non critica et ſine leuamine; quodſi denique pars affecta ita comparata ſit, vt effluxus inhiberi poſſit, medici eſt, aegrotanti quam celerrime opem ferre. Huius munus haec circiter requirit momenta:

1. Haemorrhagiam ſimul atque continuo remorari.
2. Cauſam remouere.
3. Symptomata comitantia è medio tollere.
4. Morbi prouidere reditum.
5. Sequelae praecauere noxiae.

§. X.

Imprimis talis ſit diaeta, nec non regimen, conditionis, vt omnia illa ſanguinis commotiones et generaliter haemorrhagiam augentia, euitentur. Aegrotum aëre vti frigidulo *h*) neceſſe eſt, et quo maior ſanguinis ebullitio, quo maior eius reſolutio, eo maior requiritur aëris frigiditas; ſi vero debilitas adſit et ſpaſmi ſimul haemorrhagiae fauentes, locus ſubcalidus praeferendus eſt. Pauco, *i*) quid? quod? nullo vtatur nutrimento, vel magna ſi debilitas hoc vetat, tales tantum cibi, ſanguinis motum prius ſedantes, quam augentes, ſanguinis molem haud maiorem reddentes, ſed è contra nullam producentes flatulentiam, et

---

h) C. Medical Tranſactions publiſhed by the College of Phyſicians in London, Vol. 2. p. 431. et FELICIS PLATERI opus prax. med. Tom. 3. p. 709. et LEAKE Medical inſtructions, p. 394.

i) V. Medical Tranſact. l. vix citato.

et haemorrhagiae ipſi reſiſtentes propinandi ſunt. Inde praeſertim cibi conducunt aciduli, *k* vbi plethora, ſanguinis commotio, acrimoniae vel putridae, vel bilioſae, haemorrhagiae anſam praebent; ſi vero magis ſalinae indolis acrimonia, tunc mucilaginoſis vtendum eſt; ſi debilitas cum ſanguinis aquoſa conditione cauſa eſt haemorrhagiae, alimonia leniter roborantia *l*) adhibenda ſunt. In ſtatu ſpaſtico potulenta tepida in vſum vocanda ſunt; ſicuti in ſanguinis ebullitione è contra, acrimonia et procliuitate ad humorum reſolutionem, potu opus eſt frigido.

§. XI.

Suadendum eſt aegroto maxima corporis quies, *m*) taliſque ſitus, quo ſanguis à parte deriuetur adfecta. COELIVS AVRELIANVS *n*) prudenter ſic monet: „Oportet ex „qualibet parte ſanguine fluentes iacere loco mediocriter „frigido, atque obſcuro, lecto immobili et ſchemate decli- „nato, vt paulo promtius (altius) caput leuatum habere „videantur, ſtramentis non nimie cedentibus neque calidis, „et vt potuerint, vno atque eodem ſchemate perſeuerantes, „hoc eſt immobiles; praeterea animi intentionibus ſolutos; „vehementer enim motibus corporis, animorum curae

„ſae

k) Conf. SCHROEDERI Opuſc. med. ſ. 2. p. 39. et PAVL. AEGINET. l. c.

l) EDWARD BARRY in A Treatiſe on the tree different Digeſtions and Diſcharges of the human Body, London 1759, p. 376: lactis vſum frequentem in haemoptiſi quam maxime laudat.

m) Conf. Medical Obſervations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London, Vol. 4. p. 210.

n) V. Ei. Libr. de morbis acutis et chron. L. 2. Cap. 13. p. 401.

„ ſaepius turbationes addiderunt.“ Et paulo poſt: „ pro-„ hibendi denique aegrotantes ab officio locutionis, vt, ſi „ quid voluerint, vſi nutibus, vel ſcriptura dari ſignifi-„ cent.“ Quodſi à ſomno obprimatur, ob diminutionem circulationis vehementiae, valde ſalutari, caueas quaeſo, ne ex falſo praeiudicio eum turbes. *o*) Nec minus magni eſt ponderis, aegroti animum reddere quietum; nam illius perturbatio ſola interdum ſufficit, haemorrhagiam nutrire et augere; et ſi maximum minatur periculum, quietem ſimulare, omniaque animi pathemata excitantia remouere medicum oportet. — Se et excretiones naturales, imprimis aluina excretio, ſemper ſunt obſeruandae, vt ita, vt debent, recte procedant. In alui obſtructione extemplo clyſteres *p*) leniter emollientes, refrigerantes, mucilaginoſi, vel lenia purgantia adhibenda ſunt, ſi alias cauſa vel ſpecies morbi et corporis debilitas hoc permittit, nam in vteri profluuio ſanguineo, ſaepe clyſma haemorrhagiam iam ſedatam denuo prouocat; in hoc caſu alui obſtructio, licet bidua et tridua ſit, nil damni adfert.

§. XII.

Niſi praecepta et monita haec ſufficiant, haemorrhagia ipſa ſiſtenda et cauſa illius tollenda eſt. Plethora vera, vel apparens cauſa audit frequentiſſima. Licet rarior ſit cauſa primaria, ſemper tamen totam requirit attentionem, quod

o) V. Felicis Plateri Libr. iam citatum.

p) Enema quotidie iniiciendum curare, mandat cl. Sydenham in ſuis Operibus medicis, Tomo 1mo, p. 178. et Vidi Vidius in artis medicinalis Tomo 2do, p. 510. et Philoſophical Tranſ. de anno 1760. by Eraſmus Darwin.

quod profluuium saltem angere et alere potest. Pro primo itaque haec, si adest, minuatur, necesse est. Venaesectio q) semper ac tutissimum remedium laudata fuit, et sane est, si aeger iuuenis, plethoricus, pulsus durus, plenus, frequens, sanguis densae conditionis, causae antecedentes tales, quo sanguinis commotio aucta, sanguinea profluuia sueta subpressa sunt, et si denique status adest phlogisticus. (HIPPOCRATIS r) effatum hoc: „ in acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur florueritque „ aegrotantis aetas et virium adfuit robur.") Rebus sic se habentibus phlebotomia eaque larga minime timenda est, s) attamen semper modus sit tenendus. Venaesectio quoque interdum non inutilis solum, sed dispendiosa etiam instituitur: si enim e.g. vasa dilacerata se contrahere impediuntur, nunquam de venaesectione instituta spes laeta capienda erit, et si solida relaxata, sanguis dissolutus, haemorrhagiae causa acris et irritans, status vasorum spasticus, illam nutriens, aegrotus iam debilitatus, quid commodi tunc de phle-

q) Conf. Med. Transactions published by the College of Physicians in London, Vol. 2. Query 4. et HUXHAMI opera physico-med. T. 2. p. 187. — et EDWARD BARRY l. c. p. 364. commendat venaesectionem repetitam vt praestantissimum in haemoptiseos curatione remedium. Pari modo in eodem laudat morbo phlebotomiam cl. SYDENHAM l. c. — Philos. Trans. l. c. PAVLVS AEGINETA l. c. iam praescribit V. S. in curanda haemoptisi, p. 132. nec non COEL. AVRELIANVS l. c. p. 410. et DVNCAN Medical Cases and Observations, p. 305.

r) Conf. Ei. lib. 4. de victus ratione in acutis.

s) Conf. NIC. BLEGNY Zodiacus medico-gallicus anni 1682. et ALBERTI P. 5. p. 42.

phlebotomia ſperandum erit? — me iudice ne minimum quidem, noxia è contra tunc ſemper et reiicienda eſt. Locus quo vena ſecanda, minime eſt arbitrarius, ſed pro partis diuerſitate adfectae eligendus eſt.

§. XIII.

Quodſi ad V. S. generalem non ſatis luculenta ſit indicatio, topicis ſanguinis euacuationibus vti licet. Hirudines, vti mea me fert opinio, laudes iſtas excelſas non merentur. Sanguinis copia, quam euacuant, modo nullius momenti, modo enormis eſt, vt vix ſubinde, eis quoque iam ablatis, ſedetur ſanguis. Irritamentum cauſant, irritatione ſyſtematis neruoſi iam praeſente valde noxium: ne dicam de difficultate in illorum adplicatione, cum ſaepe euenit, quod pertinaces iſtae, ambedere plane recuſent: ne dicam de odio plurimorum hominum huius remedii: ne dicam, quod in multis regionibus non habitent. Contrarium ſaepe monſtrant effectum, ſi nempe locis adplicentur inflammatis: inflammationem enim augent, ſanguinis affluxui et acumulationi fauent. Veritatem huius ſententiae, amicus meus Welti, heluetus, M. D. proh dolor! nuper expertus eſt: „ Poſt cataractae ex voto extractionem, ſuborta eſt chemoſis, „ hirudines adplicatae magnum et exoptatum prouocabant „ ſanguinis effluxum, ſed vix credibile eſt! aliquot diebus „ elapſis, amauroſis completa, ex repletione choroideae „ vaſorum, reprehendebatur, licet paulo poſt operationem, „ ne veſtigium quidem guttae ſerenae adeſſet." — Illuſtriſſ. archiater Richter, praeceptor mihi in aeternum venerandus, quauis data occaſione, maximam commendauit prouidentiam et cautelam in hirudinum, ad partes inflammatas

 ſcopo

ſcopo euacuandi, adplicatione. — Cucurbitulae cruentae *t*) omnibus his carent incommodis, ſanguinis copiam euacuant debitam et reuulſionem cauſant a parte affecta.

§. XIV.

Denſitas porro ac ſanguinis ad phlogoſin procliuitas minuendae ſunt. Conueniunt inde potus aquoſo-mucilaginoſi, ſubacidique, rigiditate vaſorum praeſente, tepidi ſumendi. Praecipue vero reſpondent huic fini remedia quaedam pharmaceutica: inter omnia eminent nitrum *u*) et ſal ammoniacum. Prioris vis refrigerans, *x*) reſoluens, antiphlogiſtica omnibus conſtat; potiſſimum inde ſemper remedium manebit, indicationi ſanguinis indolem phlogiſticam emendare, ſufficiens; ſed caueas quaeſo, ne vteris, vbi ſolidorum debilitas, diſpoſitio ſpaſtica, bilioſa acrimominia adeſt, magis hic conuenit ſal ammoniacum. Praeterea alia adhuc reſtant ſanguinis denſam conditionem reſoluen-

t) Conf. Fel. Plater. l. c. T. 3. p. 709.

u) Thomas Dikson phyſician to the London Hoſpital electuarii mentionem facit è conſerua roſar. rubr. cum nitro parati, cuius laudes, praeſertim in haemoptiſi ad aſtra extollit. Sic enim ait: The good effects from this electuary have aſtoniſhed me, and in ſo much, that, when given early in a haemoptoë, J can almoſt equally depend upon it, as upon the peruvian Bark in a genuine intermittent. Conf. Medical Obſ. and Inq. by a Society of Phyſicians in London Vol. 4. p. 209. et iterum: In other caſes the nitre joined with ſperma ceti, or pulv. è Tragacanth: has produced equally good effects, p. 211.

x) V. Linnaei Materia med. p. 279. §. 677.

uentia: Sapones alcalini vi gaudent insigni resoluente sanguinem inflammatorium; sed pari modo vt nitrum caute sunt adhibendae, nam, si modum excedis, resolutionem sanguinis putridam producunt; conueniunt denique mel dosi magna, extracta resoluentia, e. c. extr. taraxici, nec non graminis et quae sunt alia.

§. XV.

Vbi vasorum reprehenduntur obstructiones, congestionem quandam ad partem vel causantes, vel alentes, quae ex causa, vita praegressa, corporis habitu etc. cognoscendae sunt, primum medelae constituit obiectum, resolutio. Etsi remedia soluentia haemorrhagiam non extemplo sistant, tamen in progressu medelae maximum ab illis et radicale sperandum est auxilium, quod causam, inde quoque effectum plerumque tollant. Praeterea etiam partium debilitas, ad quas sanguis congeritur, quam saepissime in culpa est. Lenia roborantia, liberus aëris aditus, aquae vsus frigidae hic robur sensim sensimque sine dubio reddunt, quo sanguinis accumulatio in posterum impeditur nec non praecauetur. Nec minus saepe irritamentum praeternaturale ac sanguineorum profluuiorum causa accusandum est: Nil attinet hic monere, quod medici semper sit, hoc sedulo indagare, mitigare et per vias maxime idoneas è corpore eliminare. Fac, hoc irritamentum esse externum, in regimine calidiori, vestimentis vel stragulis moderate calidis, frictionibus corporis lenibus, balneis tepidis et aliis remediis, quibus spasmis mederi solemus, totius curae vertitur cardo; sic nempe tollitur congestio ad partes internas vel nobiliores et sanguini reditus ad peripheriam patet. Aliud irri-

irritamentum ſubinde praebere acrimonias bilioſas y) nemo in dubium vocabit. Hae per ſigna ſaburrae bilioſae ſemet produnt: linguam bilioſi coloris, ſaporem amarum, dolorem preſſiuum in praecordiis, vel ſcrobiculo cordis, dolores capitis, adpetitum proſtratum ſigna ſordium bilioſarum ſubpeditare, quis eſt, qui neſciet? — Indicatio hic eſt, quae neminem medicorum fugiet, ope potuum copioſorum acidorum, corrigentium, acrimoniam diluere, emendare; catharcticorum, ſimul acrimoniae proſpiciendorum, vſu, illam euacuare. Draſtica omnis generis, nec minus aloëtica, rhabarbarina, jalappina hic nocent; conueniunt potius purgantia leniora e. c. ſalia media, praecipue ſal polychreſt. Seignette, Glauberi; Cremor Tartari; omnibus autem palmam praeripiunt pulpa tamarindorum et caſſiae, quod viribus gaudent acrimoniam ſimul emendantibus bilioſam. Si ſordium turgeſcentia animaduertitur ſeorſum, non eſt, quod timeas, emeticum z) propinare, niſi alia adſunt contraindicantia: horum, me iudice, duae tantum dantur; ſunt nempe haec plethora et gaſtricis vera; quae vero, vt me ſpes tenet, raro, imo rariſſime cum haemorrhagia complicatae inueniuntur. Ill. RICHTER de haemoptiſeos medela ſic egregie in praelectionibus ſuis academicis iudicauit: „emetica ſola et vnica hic ſunt remedia, purgantia

„non

y) Conf. SCHROEDERI Opuſcula medica, Tom. 2. p. 335.

z) Haemoptiſis enormis per emeſin fortuite ex cereuiſiae hauſtu, fumo (vel potius oleo ex illo) nicotianae impraegnatae, orientem ſanabatur; incredibilis reiiciebatur bilis et pituitae viſcidae quantitas. V. Ephemerides naturae curioſorum Cent. 6. Obſ. 57.

„ non iuuant in initio, non cito ſaltem et abſque facilitate, „ ſed poſt emeſin omnino conducunt. Clyſmata emeticum „ antecedant, neceſſe eſt: poſt quandam emeſin reſoluenti- „ bus vti oportet, nam ſaepiſſime pluribus opus eſt emeti- „ cis." Caſum tunc temporis diſcipulis nobis retulit quam maxime memoratu dignum. „ Accerſebatur vir ille magnus „ ad grauidam haemorrhagia laborantem vteri praemagna: „ omnis generis ſtiptica, aliaque remedia fruſtra iam tentata „ ſunt, ita, vt vteri orificium ad thaleri magnitudinem „ vſque apertum inueniretur. Arguit et cognouit ille pra- „ cticorum primorum vnus, cauſam bilioſam, et vomito- „ rium in hoc ſtatu omnino critico et delicatulo propinauit, „ et cum tali felici et inopinato ſucceſſu, vt non haemorr- „ hagia ſolum coërceretur, ſed abortus quoque euitaretur „ inſtans." — Certiſſime non augent emetica haemorrha- gias, *a*) ſi ſola et vnica cauſa adeſt colluuies bilioſa, è con- tra, profiuuium mitigant, imo tollunt, tam quod cauſam remoueant, quam quia vim etiam poſſideant antiſpaſmo- dicam et ad ſuperficiem humores determinantem. Omnino ouare licet, quod antiquum illud praeiudicium, vſum eme- ticorum in haemorrhagiis bilioſis vetans, nunc ſuperatum ſit. Celeberrimus Frize *b*) opinionem iſtam veterum ridi- culam „ de vſu emeticorum in pectoris inflammatione cum ſputo cruento iuncta tam egregie pinxit, vt temperare mihi plane nequeam locum verbotinus hic exſcribere: „ ich erin- „ nere mich nie weder in den Lehrbüchern, worüber ich „ auf Univerſitäten Unterricht erhielt, noch durch den Vor- „ trag

a) V. Philoſoph. Tranſactions, Vol 51. Pars 2. p. 527.

b) Conf. Ei. mediziniſche Annalen, p. 197. 198.

„ trag darüber jemals die Reflexion gehört zu haben, daſs „ es falſche Pleureſien geben könne, deren Entſtehung man „ in dem Darmkanal aufzuſuchen habe, und die alſo blos „ als ein Gallenfieber zu behandeln wären, die Frage iſt mir „ aber wohl bey meiner Prüfung zur Doctorwürde noch „ gegenwärtig: ob man bey Bruſtentzündungen, ſie möchten von der falſchen, oder ächten Art ſeyn, wenn nur „ Blut ausgeworfen würde, und wenn ſich gleich eine Neigung zum Brechen einfände, ob man in dieſem kritiſchen „ Falle ein Brechmittel ohne Gefahr geben müſſe? Jch „ beantwortete dieſe Frage mit übereinſtimmiger Zufriedenheit und dem freundlichſten Kopfnicken meiner damaligen Lehrer mit Nein! Obgleich zu der Zeit eine unentwickelte Idee in meiner Seele ſchwebte, die dieſe Antwort nicht gut hieſs, ſo hatte ich doch einſtweilen die „ Beruhigung, daſs dieſe Antwort mit den unſchätzbaren „ Collegienheften harmonirte." — Ill. quondam archiater VOGEL c) adeo in deſperato haemoptiſeos caſu commendat vomitoria.

§. XVI.

Quodſi vero impoſſibile ſit irritamentum è medio tollere, ſi nempe cauſae immateriales adſint, vel ſpaſmi, irritamento iam ſublato, perdurent, vel vnice ex naturae efficacitate ortum ducant, aequalem reddere humorum circulum ſedulo ſtudeamus neceſſe eſt. Remedia emollientia, antiſpaſtica primum hic tenent locum. Enemata ex decoctis herbarum emollientium, pediluuia, ſemicupia et balnea

c) Conf. Ei. Praelectiones academicae de curand. et cognoſcendis morbis, p. 212.

nea *d*) tepida exoptatiſſimum monſtrant effectum, nec minus infimi ventris fomentationes, infrictiones unguinum emollientium, antiſpaſmodicorum, negligendae ſunt. Dolorem vel irritationem minorem a maiori ſuperari docet experientia, lumen enim maius obſcurat minus; inde ſinapiſmi, *e*) cataplaſmata irritantia, veſicantia; epithemata ad genitalia, ſi acumine tantum gaudent debito, efficaciam experire ſinunt exoptatam.

§. XVII.

His iam annectanda ſunt emollientia ac antiſpaſtica interna, e. g. emulſiones papauerinae, *f*) infuſum ſeminum lini et liquor anodinus min. Hoffmanni hiscum nuptus; et niſi ſufficiant, ipecacuahna, ſed paruis et repetitis doſibus, *g*) exhibui poteſt. Maximum vero hic remedium eſt opium, *h*) ſed caueas velim, ne ante venaeſectionem inſtitutam, al-
uum,

d) V. Kravse reſpondente Hoffmann Diſſertationem de remediis haemorrhagiarum internarum, p. 81.

e) C. Dvncan Medical Caſes and Obſ. p. 305.

f) C. Vogel l. c. p. 217.

g) V. Dalberg in Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1770. Vol. 31. p. 316 — et David Macbride in A methodical introduction to the theory and practice of phyſic. laudat Ipecac. paruas doſes in haemoptiſi habituali, ſi ſanguis iam reſolutus et pulmones debilitati ſint, omiſſa venaeſectione.

h) Mr. Dikson in haemoptiſis cura hoc praecipit: „when the „cough is very troubleſome, a ſmall Opiate frequently exhi„bited is abſolutely neceſſary.“ Commendat quoque opii vſum Mr. le Roux in ſuis Obſervations ſur les pertes de ſang, p. 252. — Haemoptiſis cura opii vſu legitur in Med. Obſ. and Inq. Vol. 5. p. 77.

uum, clyſteris ope, liberam redditam, acrimoniamque, opii vſum vetantem, eliminatam, in vſum voces. Quot felices ſub his conditionibus effectus praebet opium, tot noxios experiemur, niſi methodice *i*) iſto vtimur. Plethora vero, vel bilioſa acrimonia, vel viſcerum obſtructionibus nondum ſublatis, vaniter opii auxilium expectamus, cum ſanguinis motus inaequalis tunc tolli nequeat. In omnium autem antiſpaſticorum adhibitione corporis conſtitutio aegroti nunquam è conſpectu amittenda eſt. Cel. TRALLES *k* egregiam in opii vſu praeſcribit regulam: „Si dolor quis,“ ait, „cum haemorrhagia adeſt, ob ſtimulum, vaſa laceſſentem „et irritantem, aut ſpaſmos remotiorum partium, ſangui„nem ad partem adfectam propellentes, opii locus eſſe „poteſt, non aliter.“ — Cl. GOSSE *l* commendat ſyrupum papaueris alb. cùm oleo lini nuptum in haemoptiſi ad modum cel. MICHAL.

§. XVIII.

Fac autem congeſtionis cauſam non ex voto celeriter remouendam eſſe, è re tunc erit, ſanguinem à parte adfecta deriuare. Hunc in ſcopum multa commendare remedia. Primum et antiquiſſimum, ab Hippocrate, Celſo, Coelio Aureliano et Paulo Aegineta iam laudatum, ligatura eſt artuum. Multi quoque recentiorum, vt vnum ſaltem in medium proferrem ill. v. SWIETEN, *m*) ſanguinis refluxum ad

---

i) V. TROLLES Vſus opii ſalutaris et noxius, p. 6.
k) V. l. c. p. 57.
l) Conf. Journal de Medecine, Chirurgie & Pharmacie, par Mr. LE ROUX, L. 30. p. 83.
m) V. l. c. p. 505.

ad cordem inde remorari, eiusque ita motum minui, censent. In modicis hinc inde haemorrhagiis plane reiicienda non est; remedii vero generalis laudes nunquam meretur; semper quidem monendum est, compressionem nimis arctam, quo arteriae cum venis ligantur, nec minus deligationem postea nimis subitam, cane peius et angue esse fugiendam. — Frictiones etiam corporis modicae suadent nonnulli, quo sanguinis diuisio aequalis redditur, eiusque ad partem adfectam affluxus minuitur: hoc vero totum est commodum, quod in statu spastico ab illis sperare potes. Noxiae sunt, plethora, aequali sanguinis diuisione, huiusue celeri motu praesente. Pediluuia ac maniluuia tepida, ante sanguinis abundantiam et phlogisticam conditionem diminutam, adhibenda non sunt, quod tunc plethoram pariunt ad spatium, vti vocant, viribus suis sanguinem rarefaciendo. Sinapismi porro ita vt debent acuati, deriuationem causant, nisi vero sufficiant, vesicantiis vti licet; excipe, quando effluxus talibus ex partibus fit, in quas cantharides vim exserunt specificam, cuius generis, vti omnibus constat, partes sunt genitales nec non totum systema vropoëticum. — Hirudines, quorum vsum scopo reuulsionis supra reieci, hic, ni meum me fallit iudicium, locum omni iure habere possunt. Loco enim, a parte adfecta alieno adplicatis, viribus suis antliantibus, irritantibusque, deriuationem sanguinis exoptatam efficiunt à parte adfecta; dorso pedis, vel suris inde bono cum successu adplicari possunt. Frigus externum adhuc praestat; huius adplicatione partes contrahuntur solidae et fluidae condensantur. Vbi itaque sanguinis impetus non adeo vehemens, locus non adeo a superficie alienatus, solidae partes relaxatae, et causa haemorrha-

giae proxima anaſtomoſis vel diapedeſis eſt, humorum reſolutio adeſt, frigus, laeta effectus ſpe adhibitur. Cauſa vero externa, contractione ſpaſtica praeſente et denſa ſanguinis conditione, nulla de frigore eſt ſpes. In frigoris adplicatione, denudes velim partem ſanguinem fundentem, vt aëri pateat aditus; hypocauſtum, quo vitam degit aeger, aëre repleatur recenti, balſamico, frigido; adſpergatur, lauetur, fomentetur aqua frigidiſſima, in qua praeterea ſal ammoniacum ſolutum; epithemata adplicentur è niue vel glacie contuſa, ſale ammon. mixta, ob ſuam vim inſignem frigus augentem; admoueantur corpora frigida, metallica.

§. XIX.

Niſi omnia haec monita ſufficiant, ad fortiora confugiendum eſt adſtringentia, ſed ſub his tantum conditionibus: vitae nempe periculo imminente, haemorrhagia ex laxitate praeternaturali perdurante; humorum ſingulari reſolutione praeſente. Sic ſe habentibus, in parte adfecta, vel eius vicinitate haec remedia laeta cum ſpe adhibentur. Praeſtantiſſima et efficaciſſima ſunt acida, *n*) ſpiritus vini rectificatiſſimus et vitrioli ſolutio, vel ſpiritus vitrioli, *o*) nec non puluis ille ſtipticus, quem anglus quidam Fowler facultatis in notitiam adduxit medicae, quae Pariſiis eſt, quae laudibus etiam, quas meretur, hunc excepit, loco hoc minime eſt indignus et omni ratione propinari poteſt. *p*) Alius

n) V. Mr. le Roux l. c. p. 261.

o) Conf. Schroederi Opuſcula medica, Vol. 2. p. 41.

p) V. Journal de Med. Chir. & Pharmacie &c. Janvier 1781. Tom. 55. et Richters chirurgiſche Bibliothek, 6ter Band, p. 206 und 207.

Alius puluis ſtipticus laudatur a domino ALEX. THOMSON Phyſician at Monroſe. q) Quando adſtringentia ob partis, ex qua effluxus fit, ſitum externe adplicari nequeunt, humorum reſolutio permagna, nec plethora, nec orgaſmus praeſens, nec vaſorum ſtrictura reprehenditur ſpaſtica, tunc quoque interne porrigere adſtringentia fas eſt; licet partes non impetrent immediate affectus, tamen per conſenſum et mixtionem cum humoribus efficacia ſe monſtrare fore ſperandum eſt. Sunt quidem multi vſum iſtorum metuentes, vel potius reiicientes, prae aliis cel. VOGEL r) mentionem facere me oportet: contendunt enim, efficacitatem illorum in inteſtinorum tractum tantum eſſe poſitam: adhibita vero, quae par eſt, cautione, omnino reſpondent exſpectationi. Sequentia ex agmine illo inſigni elegi: Radix tormentillae, herba hederae terreſtris, millefolii, plantaginis, corticis granatorum et tamariſci, ſuccus acaciae, catechu et ſanguis draconis: ſupra omnia autem haec eminent: elixir vitrioli Mynſichti, vitriolum martis factitium et oleum martis. Selectus horum dependet à corporis conſtitutione.

§. XX.

E re nunc porro ſemper eſt, humorum prouidere raritati aquoſae praeternaturali, quacum acrimonia indolis ſingularis plerumque coniuncta eſt. Hoc reſpectu optime conueniunt remedia glutinoſa, acrimoniam ſimul inuoluentia,

q) V. Med. Eſſays and Obſervations, Vol. 4. p. 39.

r) C. Ei. Praelectiones etc. — et Commentaria de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis, Vol. I. p. 449.

tia, corrigentia e. c. Decocta è ſeminibus farinoſis, radice althaeae, ſalab, ſagou, cacao; decoctum album Sydenhami, albumen ouorum, animalium gelatinae iuniorum et gummi arabicum. Si ſpaſticus ſimul adeſt ſtatus, adhuc melius ſunt adaequata, reſolutionis enim humorum, haud raro ſolidorum laxitas ſodalis eſſe ſolet. Attamen cauendum eſt, ne ex nimio horum vſu noua inducatur cachexiae cauſa; neminem enim fugit, ſpiſſitudinem tunc oriri humorum, lentoremque totius circulationis eſſe pediſſequum. Quodſi vero putredinoſa adſit ſanguinis reſolutio, omnia illa efficacia hic locum habent antiſeptica, vt herba acetoſae et acetoſellae, fructus acidi, ſerum lactis acidum vel aluminatum, cortex peruuianus, radix arnicae, ſerpentariae virginianae, valerianae et acidum vitrioli, camphora denique et elixiria acida, Mynſichti nec non Halleri, etc.

§. XXI.

Negligentiae accuſandus, ſi oblitus eſſem remedii nouiſſimi, quod cl. Archiater MICHAELIS in ſuis literis ad ill. Conſiliarium aulicum RICHTER *s*) miſſis, mentionem facit. Sal ſcilicet culinum, ex anglorum plurium effatu vi gaudet mirabili, ſanguinea ſubito cohibere profluuia. Efficacitatem ab irritamento tam magno neruis ventriculi admoto deriuat, vnde ſpaſmus vniuerſalis totius neruoſi ſyſtematis oriatur, vt ſic vaſa, ſanguinem fundentia praecludantur. Ex Hibernia attulit Philadelphiam hoc remedium M. D. quidam cognomine SCHIEL. In omnibus haemorrhagiis, quod maxime mirandum, praeſtantiſſimos monſtrat effectus, cauſa

s) V. Ei. Chirurgiſche Bibl. 7ter Baud, 3tes Stück, p. 580.

causa sit etiam, quaeque sit, si in dosibus tantum exhibitur magnis. Plura enumerat exempla, vbi subito coërcebantur profluuia magna et periculosa.

§. XXII.

Quodsi perpendamus remediorum illorum magnum penum, quibus sanguineis mederi solemus profluuiis, nemo certe erit, quin dubitet de specificorum *t*) fallacitate. Etsi vero in plerisque casibus nil praestent, vsus illorum, si aegrotus tantum fiduciam habet, haud plane est vituperandus; praecipue hoc valet de amuletorum adplicatione, tam innoxia; aegri enim spes magni est momenti ad spasmos tollendos; sed patet per se, vt reliqua remedia debita minime negligenda sunt. Hoc itaque respectu ranae viuentis e. g. ad pedis plantam, vel bufonis vstae sub axillis adplicationem, medico concedere licet. Pari modo sympathetica sic dicta remedia, vt sanguinis stillatio effluentis super vitriolum etc. admitti possunt.

§. XXIII.

Respiciendum porro est ad symptomata comitantia: praecipua sunt haec: animi deliquium et conuulsiones: prius parum, vel plane non est periculosum in haemophobis, vbi sanguinis amissio nullius momenti, nullaque alia adsunt periculosa. Exoptatum saepe euenit hoc interuallum, ad sanguinis fontes obstipandos, et sic prospiciendi haemorrhagiae. His peractis, cucurbitarum coecarum,

fina-

t) Conf. Edward Barry A Treatise on the three Differents Digestions and Discharges &c. p. 364.

ſinapiſmorum, cantharidum, odoriferorum volatilium ope nunc licet aegrotum reſuſcitare. Longe vero periculoſiores conuulſiones ſunt; nam de maiori iam debilitate concludere ſinunt, per ſe quoque augent haemorrhagiam. Remedia hic propinari debent, tam conuulſiones ipſas tollentia, quam cauſae morbi et aegroti corpori congrua.

§. XXIV.

Indicatio proxima morbum praecauere recidiuum iubet. Diaeta, regimen, et tota viuendi ratio ſic exquiſite requiruntur, ne ex tali vitio noua accerſatur cauſa. Commendetur hinc inde corporis motus tantum mitiores, diaeta refrigerans, vegetabilis, non adeo nutriens, minime exaeſtuans; potus aquoſi, mucilaginoſi, regimen frigidulum. Praeter haec remedia refrigerantia; phlebotomia repetita huic indicationi ſufficiunt. Semper alui obſtipationes euitandae et viſcerum abdominalium obſtructio ex ſuo tollenda eſt capite. Bilioſam ſaburram ſi metuis, corrigentia, reſoluentia, euacuantia, imprimis emetica porrigere nunquam negliges.

§. XXV.

Quodſi feliciter accidat, haemorrhagiam coërcere, ſymptomata tollere, morbi praecauere reditum, ſequelis morbi nunc proſpiciendum erit: Varii generis ſunt haemorrhagiam ſequentia: modo ſanguinis effuſi reſolutio, vel excretio; modo inflammationis imminutio, vel praecautio; modo ſubpuratio euitanda, vel infringenda; modo corporis repletio humoribus balſamicis; modo virium reditus, medici requirit attentionem et opem. Sanguinis

extra-

extrauafati refolutioni refpondent praecipue: Infufum flor. arnicae, radicis graminis et tarax., falia quaedam media et fapones medici: tamen chirurgicum fubinde neceffe eft auxilium, fi e. c. fanguis effufus in telam cellulofam, fiue in aliud corporis cauum ftegnat et effluere nequit. Febri inflammatoriae, vel orienti, vel iam praefenti profpicit methodus antiphlogiftica; caufa vero biliofa, febris medelam biliofae requirit. — Difficillimus, imo periculofus ftatus adpellatur ille fubpurationis criticae: interim quaedam adhiberi poffunt, fubpurationem ni praecauentia et tollentia, tamen moderantia. Humorum inde acrimoniam alienari, irritabilitatem minui, fanguinis circulum temperari, fonticulorum, fetaceorum, daphnes mezerei ope in alienam alicere partem remotiorem, hoc eft, vt medici hic dicitur officium. Sanguinis extrauafati excretio dependet loco ab affecto: in haemoptifi e. g. fufficiunt expectorantia, aqua felterana, lacte nupta caprino, vel ferum lactis, vel decoctum rad. graminis cum vna alteraue mellis parte, vfque eo propinata, donec omnis euanefcat tuffis, difpnoea et expuitio fanguine tincta. Poft vomitum cruentum pari fcopo excretorio refoluentia, purgantia indicata funt.

§. XXVI.

Cauendum eft, ne corpus poft haemorrhagiam fedatam nimis cito et fortiter nutriatur; nimis enim follicitudo reconualefcentem roborandi faepe morbi reditum, quin imo mortem parauit. Pedetentim tantum corporis et virium reftauratio tentetur; omnes abfint cibi exaeftuantes, nimis nutrientes, è contra talis fit indolis diaeta, vt potius fanguinis orgafmus minuatur. Tunc ad roborantia, proprie

fic

fic dicta, tantum confugiendum eft, corpus fi repletum eft bonis. Hoc peracto nunc porrigi licet cortex peruuianus *u*) cum martialibus, radice ferpentariae virg., decoctum limacum, quod ill. KAEMPF, ac maximum laudat reftaurans. Corporis frictiones, balnea frigida, motus corporis modici. Extracta denique omnis generis amara, nec non lichen islandicus. Et hac medela roboratoria cachexias quoque praecauet, alias fubinde fubfequentes.

§. XXVII.

Experimenta illa, circa fanguinis transfufionem inftituta nemo nefcit. Licet multa infelicia *x*) fubinde fecuta fint paulo poft accidentia, quin imo mors! ita, vt hac de re nonnullis in terris omnia huius generis experimenta in homine ex lege propria *y*) fint profcripta; nihilominus fat adhuc fuperfunt exempla, vbi fanguinis transfufio laetos monftrauit effectus. Legitur enim D. DENYS in venas iuuenis, ftupidi animi, aliquanto plus fanguinis agnini infudiffe, quam perdiderat, eo effectu, vt rationis rectiorem vfum recipere videretur. *z*) Deinde in fani hominis venas eiufdem animalis fanguinem certe abfque incommodo immifit. *a*) PVRMANNVS *b*) leprae fanguine agnino in venas re-

---

u) Conf Med. and philof. Commentaries by a Society in Edimb. Vol. 5.

x) C. Philofophical Tranf. n. 28. 30. 32. 36. 37. 54.

y) V. DU HAMEL hiftoria Acad. Reg. Scient. p. 21. 22. et BARTHOLIN. et PANELLI 2. p. 296.

z) Conf. Philof. Tranf. n. 27. et 32. Lettre I. p. 13.

a) — — — — l. c. 284. 285.

b) V. Acta Hafnienfia, Vol. 3. Obf. 53.

recepto ſanatae meminit, quartanae THOMAS BARTHOLINVS. *c*) Inde in Brittannia in Arthuro Coga, litterato homine, calidioris non nihil cerebri, qui ſponte ſe periculo obtulerat, ſanguis ouillus LOWERI et KINGII *d*) induſtria induſtria in venam infuſus eſt, tunc quidem ſine malo. Ipſe R. LOWERVS et MAVR. HOFFMANNVS, *e*) et inprimis in Gallia C. TARDY et D. DENYS *f*) ſpem conceperunt, fore vt epilepſia, aliique magni et inueterati morbi vna cum hominum ſanguine profligari poſſent, neque multum abfuit, quin immortalitatem non valde eminus proſpicere ſe perſuaderentur. Ex his apparet tam bonos, quam ingratos ſperandos fore à ſanguinis transfuſione euentus. Fac itaque in graui haemorrhagia qualiſcunque ſit generis, mortem et inanitionis periculum in propinquo eſſe; nullum, vt mea me fert opinio, hic exſtat tota in arte medendi remedium, corpus plane fere exinanitum, conuulſionibus iam correptum, animi deliquio praeſente, corpus, inquam, reſuſcitare, nouis implere humoribus. Nonne hoc in caſu omnia à ſanguinis transfuſione ſperanda eſſent? — Huius enim ope corpori humores deficientes breui tempore redduntur et ſic omnibus, pro tempore ſaltem, proſpicitur ſymptomatibus mortem indicantibus, et dein haemorrhagiae cauſas auferre, viaſque, quibus ſanguis effluit, obturare, fas erit. Nec periculoſa hic, nec anceps eſt operatio;

c) Conf. BIRCH T. 2. p. 216. et Philoſophical Tranſact. n. 30.
d) De corde, c. 4. p. 142. et Phil. Tranſ. n. 20.
e) Apud ETTMÜLLERVM, de chirurgia infuſoria c. 3. Propoſuit etiam I. DA. MAIOR in homine facienda.
f) C. Philoſ. Tranſact. n. 27. multis propoſitis rationibus et obiectionibus refutatis.

tio; quodſi enim non reſpondeat medici expectationi, quid detrimenti? — quoduis aliud remedium locum habere nequit, et mors ineuitabile eſt fatum: ea de re quoque non eſt, quod ſcrupulum ſibi creat Aeſculapii filius hanc operationem inſtituens. Euentum ſemper ancipitis incertique generis manere, nunquam negabo. Sed ſi ex millibus vnius tantum ſeruatur vita, ſat commodi et mercedis erit; nonne hoc idem eſt, ac ſi ex millibus mortuis vnum reſuſcitaſſem? —

TANTVM.

THESES.

I. Emetica reuera indicata nullam admittunt contraindicationem, ſi excipis plethoram et gaſtritidem.

II. Hirudinum ad partes inflammatas topica adplicatio plus nocet, quam prodeſt.

III. Tutius eſt, ad haemorrhagias coërcendas, ligatura vti, quam compreſſione.

IV. Quantitas ſanguinis è vena mittendi, non vnciis, ſed aegroti viribus, ſymptomatibus morbi et pulſui accommodanda eſt.

V. Nulla opus eſt praeparatione ante variolarum inoculationem.

VI. Paracenteſis thoracis in pectoris hydrope vix locum habet.

VII. Variolarum illa methodus inſertionis à cl. Gatti praeſcripta, omnibus reliquis longe eſt praeferenda.

VIII. Venenum gonorrhoïcum reuera ab illo venereo differre videtur.

IX. Apte anodina cum euacuantibus copulantur.

X. Emeticorum efficacia male ad ſordium exprimis viis eliminationem reſtringitur.